Maior. Motus localis cū alteratione: nō ꝓparatur ꝓprie in velocitate. Minor. Motus localis rectus non ꝓparatur circulari: sed alteri recto ꝑm spēm indifferenti Conclusio Non igit motus oīs est cuilibet ꝓparabilis

Patet ꝓpositio maior. qz dato aliquo motu locali talis fit sup aligd spaciū in aliquo tpe. et alius motus eque velox loquendo ꝓprie fieret supra simile spaciū et in eodem tpe. sed ꝑstat hoc alterationi nō posse ꝓpetere. Similiter pz ꝓpositio ex tribꝫ ꝓditionib ad motū req̄sitis.

Minor quo ad primā partem patz. qz motus rectus et circularis differūt specie. et sic nō ꝓparātur ꝓparatōe ꝓprie dicta. sicut nec linea recta ꝓparatur circulo. Etiam patz quo ad secūdam parrem. qz ꝓditiōes ꝓparationis ꝓprie dicte ibi inueniūtur. Conclusio patz ex dictis hic et in ꝑncipalib copulatis Corrolariū primū. Motus qui fūt per diuersa instrumenta: nō differūt specifica differentia. Patet qz ambulatio fit ꝑ pedes z volatio fit ꝑ alas. et natatio fit ꝑ pennulas. eorū possunt ꝓprie ꝓparari in velocitate. qō nō esset si differrent specifice Corrolariū secūdū. Alteratio ꝓparat ad alterationē: attendendo vnitatem qualitatis z eius a subiecto participatiōem

Corrolariū terciū. Generatio ꝓparat generationi: si generatū sit eiusdem spēi. Corrolariū quartū Doctrinā de motuū ꝓparatiōe: ostendit Arestoteles ꝑ quasdam regulas ꝓpendiose. Et quia ista vltima corrolaria diffuse tangūtur in textu. ideo eoꝝ deductionē (breuitati studens) omitto Ad rōnes. Ad primā dicit. qd licz omnis motus sit alteri ꝓparabilis in velocitate z tarditate ꝓparatiōe abusiua vel cōmuniter dicta. nō tn̄ comparatiōe vera z dicta ꝓprie. Ad secūdam dicit similit. Et sic patz responsio huius q̄siti. et ꝑ cōsequens cōioz materia huius septimi.

Finitur Septimus

Sequitur octauus

Trū aūt factꝰ sit aliquādo

Circa initium

octaui libri phisicoꝝ. in quo phūs ostendit qualis sit ꝑmus motor z ꝑmus motus. Queritꝝ ꝑmo vtrū motus sit eternus: z perpetuꝰ.

Pro pte affirmatiua est phūs in ꝑncipio huius octaui. vbi duplici medio innititꝝ ad ostendendū sempiternitatē motus. primū sumitur ex parte motus. et secūdum ex pte tpis. vt satis pz in ꝓtinuatiōe littere. Sed pro pte negatiua est autoritas sacre scripture. Preterea nisi sic phūs in isto octauo ꝓcederet ex falsis. qz ex ꝓpetuitate motus ꝓbat ꝓpetuitatem primi motoris.

Maior. Ratio Arestotelis que ex parte motus ꝓcedit: antiquoꝝ positiōem sufficiēter destruit Minor. Consideratio sumpta ex parte temporis: nequit simpliciter ꝓcludere eternitatem motus Conclusio. Supponendo igitur antiquoꝝ errorem: phūs sufficienter ostendit motus perpetuitatem

Propositio maior sic declarat. qz phūs ante Arestotelē ponētes motū incepisse posuerūt inceptionem motus ꝑ hoc qd generabāt de nouo mobilia. siue ꝑ hoc qd ꝑ motum inceperūt esse. sed hoc ꝓcludit repugnantiā. quia si mobile debeat generari. tūc necessario ante motū illi⁹ mobilis p̄cedit alius motus siue mutatio. et sic ante ꝑmum motū esset alius motus. Et pari modo de desitiōe motus dicendū est. Minor patz examinādo rōnem phi. Unde ꝓcesso qd motus nō possit esse nisi tempus sit. nec tempus nisi nūc sit. negatur ꝓnter qd nūc est mediū duorum temporum. Sicut em̄ punctum p̄t esse ꝑncipiū linee ita z nūc tpis. Deinde cū instatur. qz si nūc sit principiuz tūc ante ipsum nihil est. sed ante importat temp⁹ Huius instantie ponitur duplex solutio. prima est. quia hec ꝓpositio est negatiua quādo dicitur ante ipsum nūc nichil est. et sic non potest inferri qd sit aliquod tempus precedens primū nunc. Sicut dicendo qd nihil est extra celum. per hoc non volumus qd sit aliquid extra celum. Aliter potest dici qd affirmando ante z post tunc important tempus imaginarium. non autē tempus realiter existens.

Conclusio patet ex dictis. quia motus non potest ꝑ veram mutationem incipere. nec potest per veram mutationem desinere. sicut tamen volebant antiqui ponētes inceptionem mūdi. Corrolarium primum. Potest ab agente intellectualis nature procedere nouus effectus sine preuia mutatione. Patet quia est dabile agens intellectualis nature quod est causa temporis nec eius actio subiacet tempori sicut est deus gloriosus. et ergo potest sine eius mutatione qualicūqz ab eterna eiꝰ volūtate noua actio volūtatis procedere. Corrolarium secunduz De mūdo z motu positio Arestotelis: non est contra illud quod fides tradit in suis articulis. Patet primo. quia non loquūtur eodem modo de inceptione mundi. Patet secūdo. quia Arestoteles suam positionem non demonstrat. in signuz cuius vbicūqz loquitur de hac materia inducit testimonia antiquoꝝ. quod non est demonstratoris sed probabiliter persuadentis. Patz tercio qz expresse dicitur primo topicorum qd quedam sunt ꝓbleumata dialetica de quib rationem non habemus. vt vtrꝫ mūdus sit eternus vel non. Ad rationes. Ad ꝑmaz dicitur qd veritas fidei ponit inceptionem motus. nō qd̄em per mutationem mobilis. quia motus et mutatio designant aliquod subiectum existens prius et posterius. sed per emanationem a primo rerum omniū principio. que emanatio dicitur productio totius esse a prima causa essendi. sed talis emanatio non est mutatio ꝑm rē. sed solum ꝑm nostrum modum concipiendi. et ideo nō oportet presupponere aliquod subiectum ante talem ꝓductionem. Et illum modum productionis Arestoteles hic non impugnat. sed solum nititur probare motuz non incepisse per mutationem z factionem naturalem. z hoc est verum. Ad secūdam dicitur qd nihil ꝓhibet ex falsis verum ꝓcludere. vt pz secūdo priorum

Querit secūdo Vtrum stando in limitibus naturalis philosophie: sit demonstrabile mūdum de nouo incepisse Pro parte negatiua est auctoritas sancti Thome q̄ tenet q̄ non est impossibile mūdū fuisse ab eterno ex parte habitudinis terminorum. licet sit de facto impossibile ratione alicuius extrinseci superuenientis. sicut hec ꝓpositio. beata est virgo post eius corruptionem. est impossibilis ꝓpter oppositum actum supuenientem. Sed pro parte affirmatiua arguit. quia implicat ꝯtradictionē creaturam esse ab eterno. ergo mūdū fuisse ab eterno est impossibile. Antecedens patz dupliciter. primo quia si deus produxisset mūdum ab eterno potuisset simul ꝑdurasse mulierem impregnatam t eaz dimisisse in puris naturalib⁹. quo facto peperisset puerū infra decem menses et tūc ille puer fuisset solum nouem mensium. ergo t mūdus solum durasset per nouem menses. t per ꝯsequens non fuisset ab eterno. Patet secūdo. quia similiter potuisset produxisse vnum hominē et euz dimisisse in puris naturalib⁹ qui vixisset ꝑm certam periodum. et postea mortuus fuisset. et sic in instanti sue mortis fuisset eiusdē durationis t etatis cum mundo. et quia non fuisset infinite etatis. sequitur q̄ mūdus nō fuisset ab eterno

Maior. Ex repugnantia circūstantie repugnat mūdum aut alium effectum: a parte ante fuisse perpetuum. **Minor.** Non repugnat mūdo ꝑm se: perpetuū esse a parte ante **Conclusio.** Sola igitur fide est tenendum: de nouo incepisse mūdum

Maior ꝓpositio sic declarat. q̄ res ita se habet q̄ mūdus ex tempore incepit et ꝓpter hoc repugnat eius oppositum fuisse verū **Minor** ꝓbatur. q̄ de rōne mūdi nō est hic t nūc. sed demonstrans abstrahit ab illis. similiter ex ratione ꝑducentis nō est repugnantia **Conclusio** patz. quia ex habitudine extremorum non repugnat nec inest mūdo a parte ante fuisse perpetuo. et ita neutra ps potest demonstrari. sed vna pars debet fide teneri Ad rōnem quo ad ambas ꝓbationes dicendū est q̄ illa mulier non peperisset infra decem menses sed expectasset ꝓ tempus infinitū anteq̄ peperisset. similiter ille homo nō vixisset ꝑm determinatam periodum. sed per infinitum tempus

Principium aūt ꝯsiderationis est q̄ ꝗdem

Ad inquirendū in isto

tractatu secūdo ꝯditionem ꝑmi motus t ꝑmi motoris

Querit ꝑmo. vtrū diuisio circa dispositionē entiū in ꝗn q̄ membra: sit ad notitiā ꝑmi motus t ꝑmi motoris necessaria Pro parte affirmatiua que est vera est ꝓbs in littera. Sed ꝑ parte negatiua arguit ꝑmo sic. diuisio illa non est bimēbris. ergo nō est bona Secūdo sic. ꝑmū membrū destruit motum. et secūdum destruit quietem. tercū destruit generationem t corruptionē t omnez motū violentum. quartū destruit necessitatem aliquoz entium. et quintum ꝯmittit nugationem ponendo aliq̄ esse immobilia t aliq̄ ꝙescere. igit̄ cē.

Maior. Entia diuidi ꝑm duo prima membra tm̄: est ꝓta experientiā et ꝓta physicum.

Minor. In his que quiescūt et mouentur: quedam trimēbris diuisio inuenitur **Conclusio** Igitur sub illius diuisionis aliquo mēbro: ea que sunt ꝓtinētur necessario.

Propositio maior sic aperit. q̄ primū mēbrum est q̄ oīa semp quiescūt t q̄ nihil aliq̄n moueat. Secūdū est q̄ oīa semp mouētur t q̄ nihil ꝙescat. Sed illa duo mēbra sūt ꝓta experientiā. q̄ est ꝓta experientiā q̄ oīa semp quiescūt. etiā motū esse patz euidenter ad sensum. Et q̄ illa duo membra sint ꝓta physicū patz. q̄ ꝑncipiū in physica est q̄ natura est ꝑncipiū mouendi t quiescendi. vt ptz secūdo physicoꝝ **Minor** patet. q̄ q̄dam moueri t q̄daz quiescere ꝓtingit tripliciter Primo q̄ ea que mouentur semp mouētur t nunc̄ quiescūt. et ea que ꝙescūt semper quiescūt t nunc̄ mouentur. Secūdo mō q̄ omnia que mouētur etiā sunt nata quiescere t ecōtra. Tercio mō q̄ q̄dam sunt nata semp moueri t nunc̄ quiescere. quedam nunc̄ nata moueri. q̄dā aūt vtroq̄ modo. scz nata q̄nc̄ moueri t q̄nc̄ quiescere **Conclusio** ꝑz transeundo omnia entia. q̄ nō potest imaginari aliq̄s gradus entis q̄n sub aliquo dictorū membroꝝ ꝓtineat. Est tm̄ verum q̄ solum vltimū membꝝ est dispositio entiꝝ. t ꝑm illud verum est q̄d ꝓposuimus in titulo questiōis. scz q̄ aliquis motus est sempiternus: et q̄ aliq̄d mouens est īmobile **Corrolarium** primū. Disputare nō ꝑtinet ad physicū: ꝓta negantes esse motū. Patz tripliciter. primo quia illa positio est friuola t ad sensum manifeste falsa. Secūdo quia negantes motum esse negant illud q̄d ab omnib⁹ scientijs ꝑsupponit. Tercio q̄ physicus tanq̄z ꝑncipiū ꝓesupponit esse motum **Corrolariū** secūdū Posito Eraclito: destruit positionem physici. Patz quia destruit quietem. physicus autez ꝓesupponit naturam esse principium motus t quietis. Et ergo augmentum nō est ꝓtinuū sicut nec alteratio est ꝓtinua. sed de motu local est manifestum q̄ quādoq̄z cessat **Corrolariuz** tercium. Tercium membrum et quartū: repugnant sensui et peccant ꝓta physicū. Patz ex longa declaratiōe physicorum. **Ad** rationes **Ad** ꝑmam dicitur. q̄ ista diuisio ꝙntum membris posset de facili reduci ad bimembrem

Ad secūdaz dicitur. q̄ ꝑma quatuor membra sunt irrationabilia. vt ꝑz ex dictis. Sed ad hoc q̄d assumit contra ꝙntum dicit q̄ īmobile et quiescens nō conuertūtur q̄ īmobile se habet vt superius ad ꝙescens.

Querit secūdo. Vtrū motꝰ animalium a seipsis: dici debeat naturalis Pro resp̄sione noto. q̄ titulus q̄stiōis duo q̄rit. Primo vtrū motus aīalium sit a seipsis. Secūdo vtrū motus aīalis dici debeat naturalis. Gratia primi est notandū q̄ aliquid ꝑt dici moueri a seipso. q̄ intra se habet motorē sui motus. Similiter gratia secundi est notādū. q̄ motus aīalis vno mō ꝑt ꝓparari ad ipm totū aīal. Alio mō ad corpus ipsius aīalis. q̄d virtualiter ꝓponitur ex quatuor elementis

Maior Cōueniēter q̄dā diuisio trimēbris: inuenit in mouētib⁹ t motis **Minor.** Aliqua ꝑm quēdā motū: ꝓuenit moueri naturalit et ꝑm seipm **Conclusio.** Igit̄ motus animalis ingꝫtum huiusmodi: ꝓuenit sibi ꝑm se. et ē naturalis toti animali

Propositio maior pz verbi gratia. nã prima diuisio est q̃ qdam mouentur t mouent p se. qdam per accidẽs. put moueri fm partem dicitur p accidens. Secunda diuisio eorum que mouẽtur p se quedã mouentur a seipsis. quedam ab alijs. vt graue sursum. Tercia diuisio q̃ aliqua mouentur fm naturam. alia vero violenter t extra naturam. vt clarius patet in littera. Minor probatur quo ad primã partem. quia aliquis est motus animalis qui ẽ a principio intrinseco t essentiali ipsi⁹ animalis Similiter patz quo ad secdam partem. quia animal est diuisibile in corpus t animã tanq̃ in partes suas. sed anima est motor corporis. t etiam est actus eius. igitur. Et dicitur notanter fm quendã motum. q̃ aliqui sunt mot⁹ qui nõ sunt sub anima. sicut dealbationes q̃ fiunt ab exterioribus agentib⁹ Cõclusio patet ex declaratõe minoris. Corrolarium. diuersimode potest idem mot⁹ dici naturalis t violentus. Patz q̃ si homo sursum ascẽdat talis motus est naturalis respectu animalis t violentus respectu corpis Et loquitur Aristoteles hic largius q̃ secũdo phisicorum. vt patz ex supradictis. Est etiam cõsiderandum animal posse diuersimode diuidi in partem mouentẽ t motam. vno mõ diuidẽdo animal in animã t corpus. alio mõ diuidendo corpus in diuersa organa. ita q̃ per vnum anima mouet reliquũ. sicut manus mouetur a brachio. brachium ab humero. humer⁹ a musculo. musculũ a corde. cor autem ab alia. Patet etiam ex predictis q̃ aliquid dici moueri a seipso nõ repugnat ei quod dicitur in principio septimi. vbi fuit demonstratum q̃ nihil mouetur a seipso. scz per se primo. Hã autẽ Aristoteles loquit̃ de vna parte p respectũ ad aliam fm quem modũ aliquid dr esse in seipso. Et hec sufficiãt circa istud quesitum.

Querit̃ tercio Vtrum grauia t leuia: moueantur a seipsis ad sua loca naturalia. Pro respõsione notandum q̃ Aristoteles post quandam diuisionem mouentium t eorum que mouentur similiter t motuum subiungit q̃ in quibusdam notum est q̃ ea que mouentur mouent̃ ab alio in quibusdam vero non est manifestum an moueantur a se vel ab alio. vtputa quando grauia t leuia mouẽtur ad loca sua naturalia. Et ad hoc manifestandum mouetur presens questio. t pro pte negatiua est philosoph⁹ in littera. qui multipliciter ostendit q̃ non mouentur a seipsis. sed a generante t remouente prohibens. Sed pro parte affirmatiua arguitur dupliciter. primo q̃ grauia t leuia possunt moueri generante corrupto. ergo non mouentur a generante. Secundo quia motus naturalis est a principio intrinseco. sed generans est extrinsecum genito. igitur ꝛc.

Maior. Sicut in gravibus t leuibus principium motus violenti est extra: ita principiũ motus naturalis ipsorum est ad intra Minor. A seipsis grauia et leuia: non mouentur ad sua loca naturalia. Conclusio. Mouentur igitur grauia et leuia ad sua loca per se a generante: et per accidens a prohibens remouente.

Propositio maior quo ad primam partem supponit ab Aristotele tanq̃ nota. constat em̃ q̃ quando terra p ẽicitur sursum. tunc motus est ab extrinseco mouẽte. Secunda pars patet. quia forma grauis cum gravitate est principium mouendi deorsum. Et similiter est de motu leuis sursum. cum ambo isti mot⁹ sint naturales Minor patet p quatuor rationes Aristotelis quas oportz diligenter cõsiderare ex copulatis. Conclusio quo ad primam partem patet p Aristotelem. Et est ratiõ. quia nõ mouentur a seipsis. vt patet ex declaratiõe minoris sed generans dans eis formam dat consequẽtia formã. Sed secũda pars probatur ex ratione eius quod est per accidens. quia impedimentum accidit ei quod intendit mouere graue deorsum. t remouens illud impedimentum mouet p accidens. vno mõ quia per alterum. alio modo quia ad huiusmodi motum non concurrit per se.

Corrolarium primum. Aliquis motus in animalib⁹ est ab intra: qui in gravibus t leuibus est ab extra Patz quia si animal moueatur sursum motus est ab intra. sz si graue moueatur sursum motus est ab extra Corrolarium secũdum. Aqua calefacta quando frigefacta generante ad frigiditatem redit. patz quia sicut grauia debent locus deorsum. ita ad formam aque sequitur frigiditas Ad rationes. ad primam dicitur q̃ generante particulari corrupto adhuc remanet virtus eius in generãte vniuersali a qua halẽt grauia t leuia suum motum. Sed corrupto generante vniuersali tunc virtute generantis particularis amplius non mouetur. Ad secũdam dr q̃ motus grauiũ t leuiũ nõ est naturalis fm genus cause efficientis. sz fm genus cause materialis.

Hoc aũt dupliciter. aut em̃ nõ ppter seipm

Querit̃ circa hunc textũ primo. vtrũ ante quodlibet mouens motum ab alio: sit necesse ponere mouens motum a seipso. Pro parte affirmatiua quesiti est clara sententia philosophi in textu assignata Sz pro parte negatiua est phs in principio septimi phisicorum. vbi dictum est q̃ omne quod mouetur ab alio mouetur. Etiam in sexto determinatum est q̃ non est dare primum in motu neq̃ ex parte mobil⁹ neq̃ ex parte mouentis.

Maior. Si esset processus in infinitum in motis t mouentibus: tunc omino nullus esset motus. Minor. Non est necesse q̃ si movens debeat movere: ipsum moveri per accidens aut per se Conclusio. Igitur in genere mouentium t mobiliũ: necesse est devenire ad aliquod movens seipsum.

Propositio loco maioris posita fundat̃ in Aristo. et probatur duabus rõibus. Similiter minor probatur in littera quo ad ambas ptes. q̃ prima probat̃ duabus rõibus et vno testimonio. t sil'r secda pars duabus probatur rõibus q̃s oportet fideliter legere. t ergo iste positões sine copulatis nõ sufficiunt respõdentib⁹ Cõclusio pz p deductõem Aristotel'. q̃ nõ est processus in infinitũ in p se ordinatis. teste regula ab omnib⁹ vere philosophãtib⁹ approbata Corrolariũ. Aliqd a seipso esse primo motũ est vno modo procedendum: t alio mõ interimendum. ptz ex modo procedendi Aristotelis. q̃ loquendo de motu phisico et mobili t mouente continuis. sic nõ est dare primum

ex pte alicuius illorum fm cōmunem rationem diuisionis primi. Et hoc mō loquitur Aristoteles in sexto. vt si aliquid dicat moueri a seipso primo, put distinguit contra moueri p accidens z fm ptem. sic etiam nihil mouet a seipso primo, put determinatur in principio septimi. Sz si loquamur de mouentibus z motis cōsideratis in determinata materia. sic contingit dare primū. quia aliq̄ sunt mobilia que nō sunt diuisibilia sicut celum. alia sunt mobilia diuisibilia. sed si diuiderentur nō mouerentur a suo motore. sicut cor animalis. Et loquendo de mouente se ipsum iuxta predictam cōsiderationem. tunc aliquid potest dici moueri a seipso primo. sic q̄ sit dare primū mouens z primum motum. Cuius simile superius est habitum quando Aristoteles dixit oīa corpora posse cōtinuari. hoc enim repugnātiam non habet ex communi ratione corporum. sed ex spāli natura in diuersis corpib⁹ est repugnātia. Et p hoc pz quid sit dōm ad rōes

Queritur secūdo Utrum in motorum genere: sit necesse deuenire ad aliquod primum mouens penitus immobile. Pro parte affirmatiua est philosoph⁹ in littera. Sed p parte negatiua arguitur primo sic. q̄z quicquid potest virtus inferior potest z superior. sed aliqua mouentia secunda mouent seipsa. ergo z primus potest mouere seipsum Secundo sic. primū mouens intelligit z vult cum sit intellectualis nature. ergo ab intelligibili z appetibili mouetur. quare non est penitus immobile.

Maior. In mouentium ordine: necesse est peruenire ad aliquod primum mouens quod non est mobile per se Minor. Nō potest de simpliciter primo mouente concedi: q̄ ipsum posset per accidens moueri Conclusio. Igitur in mouētiū genere: necesse est deuenire ad aliqd primū mouens oīno immobile

Hec propositio maior est Aristotelis in littera. z deducitur rationibus ab eo sumptis Sed minor probat quia non potest moueri per accidens eo modo quo anime animalium dicuntur habere motum vel mutationē Tum primo. quia sic primum mouens esset forma subiecti corruptibilis. nec posset mouere perpetuo quod reputatur inconueniens. Tum secūdo. quia anima licz sit motor corporis aliquo modo quo ad motum localē. tamen simpliciter non est primum mouens. etiam respectu motuum sui corporis. Similiter non potest pmū mouens moueri simpliciter p accidens eo modo quo motores planetarū dicuntur moueri ad motum sui corporis. quia motores tales habent supra se alium motorem penitus separatum a quo mouentur. sicut appetit⁹ mouetur ab appetibili. quia cupientes formas practicas eis a primo mouente influxas deducere in executionem formarum naturalium incessanter mouēt sua mobilia ad explicandum huiusmodi formas in materiam istorū inferiorum prout determinatur in duodecimo metaphisice vbi Aristoteles complet in hac materia illud quod h manet in defectu. z sic patet veritas ppositionis Cōclusio patet ex dictis in maiore z minore simul vnitis.

Corrolarium primum. Conueniens est duplex primum mouens distinguere: z facile quibusdam instātijs satisfacere. Patz prima pars. quia quoddam est pmuz mouens in genere. scilicz eorum que mouentur. z tale est mouens de quo dictum est in questo precedenti. Aliud est mouens simpliciter primum quod ponitur penitus immobile. z de hoc consideratur in presenti questo. Secunda pars corrolarij patet. quia si alique instantie ptra processus Aristo. in rōib⁹ tactū possint adduci de illis facta est mentio in prima questione septimi. z ibidem st̄ solute. z ideo ad illam questionem recurrat qui eas quere re desiderat Corrolarium secundum. Necesse est motorem primum esse perpetuum z vnum. patet ex processu philosophi. qui has duas conditiones attribuit pmo mouenti. z postea addit terciam. scz q̄ nec est mobilis p se nec per accidens quam similiter probat Ad rationes. ad primam dicitur q̄ maior est vera in his que ponunt perfectionem. sed moueri non dicit perfectionem.

Ad secundam dicitur q̄ primum mouens non accipit scientias a rebus sicut nos. z ergo nō mouet ab intelligibili z appetibili Etiam intelligere z appetere nō sunt motus proprie dicti.

Atuero aliud facientibus principiū magis

Circa initiū huius tercij tractatus queritur primo. vtrum localis motus: sit omnium motuum primus Pro parte affirmatiua est Aristoteles in littera. Sed p parte negatiua arguit. quia sicut substantia est prior z perfectior aliis predicamentis. ita motus ad substantiam est prior z perfectior motibus ad alia predicamenta. Secūdo sic. in his q̄ generantur prius est generari. deinde alterari z augeri. et deinde moueri localiter. ergo motus localis erit posterior aliis motibus.

Maior. Necesse est eundem esse motum q̄ est primus: et qui est continuus et sempiternus Minor. Sicut augmentatio presupponit alterationem: ita alteratio loci mutationem

Conclusio. Igitur motus localis omnibus modis prioritatis: debet dici prior motibus aliis

Propositio maior patz. quia ante sempiternum nihil est. ergo ille motus qui est sempiternus sicut est motus localis est prior aliis Minor similiter patz in littera. quia oportet prius alimentum alterari anteq̄ coniungatur alito. Etiam si debeat fieri noua alteratio oportet q̄ per motum localem alteratum de nouo coniungatur alteranti Cōclusio patet inductiue. quia si aliquis aliorum motuum debeat esse requiritur motum localez esse non autem econtra. Similiter motus localis est prior tē pore loquendo simpliciter. quia ille est perpetuus. vt patebit inferius. Etiam est prior fm perfectionem prout perfectio ipsius motus accipitur ex parte mobilis. videm⁹ enim in animalibus q̄ maiorem requirūt perfectionem vt moueantur fm motum localem q̄z fm alios motus. Vnde pro regula ponit hic Aristoteles q̄ posteriora fm viam generationis sunt priora fm viam perfectiōis. Similiter videmus q̄ motus localis nō ꝑpetit oībus viuentib⁹. sz solū animalib⁹. nec oībus aīalib⁹ sed solū pfectis.

Corrolarium primum. Rationabile est a solo motu locali: dici simpliciter aliquid moueri. patet quia si aliqd

moueat continue in eodem loco. cuius alteretur aut augmentetur. tamē non dicitur ita proprie moueri sicut quādo mutat locum sicut dicitur in littera. z merito. quia p̄mum in vnoquoq; genere est maximum z mensura aliorum Corrolarium secundum. Solus motus circularis est aliorum motuum primus. patet per rationes Aristotelis in littera. Tum primo. quia perpetuum est priꝰ corruptibili. sed inter motus locales nullus potest esse perpetuus nisi circularis. vt etiā ostendit philosophus. Tū secundo. quia perfectum est prius imperfecto. sed motꝰ circularis est perfectus. quia copulat finem principio.

Corrolarium tercium. In motu circulari: non potest contrarietas assignari. Patz per Aristotelem hic z in p̄mo celi. quia nō videtur per quem modum in tali motu contrarietas ymaginari posset. Est tamen verū q̄ Aristoteles hic admittit contrarietatem largo modo dictā

Ad rationes. ad primam dicitur. q̄ simpliciter z per comparationem ad mouens z mobile sicut motus localis precedit motum generationis. licet loquendo de perfectione intrinseca motus generationis sit perfectior. et vt sic prior Ad secūdam dicitur q̄ in quodam genere mobilium scilicet generabilium z corruptibilium generatio precedit alios motus. tamen simpliciter motus localis est prior aliis.

Queritur secūdo Utrum necesse sit omne qđ mouetur reflexe: in puncto reflexionis quiescere Pro parte affirmatiua est litteralis sententia philosophi. licet latenter in duobus locis det occasionem meditādi de opposito. Sed pro parte negatiua arguitur dupliciter. primo. quia si faba sursum proiecta obuiet magno molari cum impetu deorsum descendenti non videtur q̄ desciat in puncto reflexionis. Aut si quis murem currentem retrahat per filum pedi alligatum non videtur facere q̄etem in puncto reflexionis. Secundo sic. si lapis sursum proiectus quiesceret sequeretur q̄ graue existēs sursum z non prohibitum descenderet. qđ falsum est.

Maior. Nunq̄ motus reflexus: cum motu priori est vnus et continuus. Minor. cū tum est ex parte reflexionis sic motus reflexꝰ: est a priori motu per quietē interruptus Cōclusio. Igitur in omni eo quod mouetur reflexe: necesse est q̄etem interuenire.

Maior propositio sic manifestatur. quia cōtrarij motus non sunt vnus motus continuus. sed primus motus z secūdus reflexus sunt ptrarij. igitur zc. Minor patet per Aristotelem in littera qui signanter adducit duas rōes ad istud que videantur ibidem simul cū ratione Xenonis. que ex p̄ma ratione phi soluitur Conclusio colligatur ex pho cum probationibꝰ necessarijs

Corrolarium. Nullū signum in spacio signatum: est actu medium respectu motus continui aut finis vel p̄ncipium. patz duobus cōcessis principijs. primum q̄ tria sunt in magnitudine que ptransitur. scz principiū medium et finis. ita q̄ medium ad vtrumq; vtroq; modo se habet. quia respectu principij est finis. z respectu finis est p̄ncipium. Secundum est q̄ aliud est esse in potentia z aliud in actu. Ex his Aristoteles deducit hoc corrolarium.

Ad rationes. ad primam dicendum est q̄ in tali casu mobile reflectitur per accidens z nō per se. quare nō oportet mobile quiescere. Ad secundam dicitur q̄ lapis habet prohibens scz virtutem violentie que sufficit detinere mobile contra suum motum. licet nō sufficiat amplius mouere mobile cōtra eius motum.

Queritur tercio Utrum solus motꝰ circularis sit continuus z perpetuus: ac omnium aliorum motuum primus.

Pro parte affirmatiua est diffuse Aristoteles in littera. Sed pro parte negatiua arguit. q̄ si sic sequeret q̄ motus circularis esset infinitꝰ quod est impossibile. quia est inter duos terminos finitos Secundo sic. generationes z corruptiones sunt perpetue. ergo non solus motus localis.

Maior. Solus motus circularis excludit conditiones: perpetuum esse motum prohibētes Minor. Autoritate probatur omnium philosophorum: solum motum localem esse p̄mum motuum Conclusio. Igitur motus localis nō solum est perpetuus. sed etiam omnium motuū simpliciter primus.

Propositio maior pt̄z. quia nulla est repugnantia sue perpetuitatis. sed natura sua habet aptitudinem ad perpetuam durationem. cuius de motu recto sit oppositum vt patet ex differētijs vtriusq; motus. quarum prima ē. quia in motu circulari mobile fm eandem positionē redit ad punctum a quo exiuit. non autem sic est de motu recto. quia dextra pars fit sinistra si eadem pars que primo exiuit debeat primo redire. Secunda differentia. q̄ circularis est de eodem ad idem. econtra autem est de recto. quia motus reflexus non est continuus cum primo motu. vt visum est supra Tercia quia circularis copulat principium cum fine. non autem sic est de recto. quia est inter oppositos terminos Minor est philosophi in littera qui eam ostendit autoritate multorum antiquorum Et est ad hoc ratio. quia perpetuū est prius corruptibili. sed solus motus localis est continuus z perpetuus. vt etiam ostensum est superius. igit. Etiam perfectum prius est imperfecto. sed circularis est perfectus. quia copulat finem principio Conclusio sequitur ex premissis

Corrolarium primum. Bene dicit philosophus primo celi q̄ motus circularis: non est fm se alicuius corporis elemētaris. patet quia passio non excedit suum subiectum. cum igitur motus circularis fm se sit aptus ad perpetuitatem constat q̄ nō debetur p̄mo z per se corpi corruptibili. Et ergo si inueniatur in tali corpore hoc est per participatiōem cum corpore superiori Corrolarium secūdum. Rationabile est motum circularem esse regulārem: z aliorum motuum mensuram. patet quia primus in vnoq; genere est mēsura aliorꝰ z minoris variatiōis. vt dr quarto huius z. xij. metaphisice Ad rōes. ad primā dicit q̄ motus circularis est infinitus fm duratiōem perpetuam. sed nō est infinitus fm terminos Ad secdaz dicitur q̄ continuitas que est in generatiōibus z corruptionibus nō est continuitas simpliciter

Q autem necesse est impartibile esse z nulla

Circa p̄incipiū quarti

tractatus q̄ritur p̄mo. vtrum primus motor sit infinitꝰ

vigoris: z nature intellectualis Pro parte affirmatiua est processus philosophi hic z alibi Sed p parte negatiua arguitur primo sic. quia Arestoteles ꝓbat totuz vniuersum esse finitum vt patet primo celi. z nullū posse esse corpus infinitum. ergo nullum erit tempus infinitū Tenet ꝟsequētia. quia infinitas temporis ꝓueniret ex pte mobil' ptranseūtis punctū in spacio signato Scdo sic qz nullus effectus videtur infinitus. sed magnitudo virtutis cognoscitur ex effectu Tercio sic. oīa eterna sunt neccāria. sed fm Arestotelem primus motor ab eterno mouit. ergo mouet de necessitate z non libere fm intellectū z voluntatem Quarto sic. si essz intellectualis nature tunc posset velocius aut tardius mouere aut omnino a motu cessare propter libertatem ipsius voluntatis. sed illa sunt absurda apud Arestotelem.

Maior. Virtutem finitam mouere: p tempus infinitum est impossibile Minor. Mouens primum existens intellectualis nature: mouet in infinito tempore Conclusio. Tenendum est igitur philosophum voluisse: primum motorem esse infinite virtutis et intellectualis nature.

Ad probandum maiorem Arestoteles tria supponit. ꝓmo q in causa motus sunt tria. s. mouens mobile z tempus. Secundo sit mouens finitum a. sit mobile finitum b. z tempus finitum c. Tercio pars mouentis sit b et pars mobilis finiti sit e. pars tēporis infiniti finita sit z Tunc arguitur sic. si a mouebat b in c. tunc d mouebit e in z. sed d potest totiens sumi q consumet totum a. z sic e consumet totum b. cum illa sint finita. Sed z nunqꝫ potest consumere totum c. cum e sit infinitum. ergo c non erit adequatum tempus in quo mouebitur b Minor habet duo complexa. ꝓmum probat. quia phs probat q primus motor sit incorporeus z sine magnitudine. ex q̄ sequitur q sit nature intellectualis. Sed scōm complexum patet ex his que dicta sunt supra in octauo. vbi probatum est q primus motus nō incepit nec desinet. sz est perpetuus. z sic est fm tempus infinitus. quare oportet primum motorem mouere in tempore infinito Conclusio sequitur ex premissis. Correlarium primum. in magnitudine finita: nō potest esse virtꝰ infinita Correlarium secūdum. Nullum corpus infinitum in magnitudine: est virtutis finite precise. Illa duo correlaria patent ex declaratione textus. Correlarium tercium. instantie facte cōtra prememorata: solui possunt facili causa. Patet quia licet totum vniuersum sit finitū. nec possit esse aliquod corpus infinitum. tñ ex ratione philosophi ostenditur q virtus primi motoris est sufficiens ad mouēdum infinitū mobile. Nec est incōueniens si effectus nō capiat tātum quantū est in causa. Est tamē vez q primum mobile habet quādam similitudinem cū infinito vt dicitur tercio huius. qz circulus est quodammō infinitus. Similiter nō procedit secunda instantia. quia modus causandi interdum magis designat virtutē cause q̄ ipse effectus. cum igitur fm philosophum ꝓma cā sit causa totius entis nō presupponens aliquod subiectum. ideo cōcludi potest infinitas sue virtutis Ad terciā et quartam diceret Arestoteles q propter immutabilitatem prime cause ea que a prima causa procedūt fierēt necessario z immutabiliter nō obstante q per intellectuz et volūtatem ageret. quemadmodum in principio huius octaui habitum est q Arestoteles non potuit videre q mundus z motus inciperent aut desinerent permanēte voluntate primi motoris immutata. et eodem modo se habente.

Queritur secūdo Utruz motus proiectorum fiat a pluribus motoribus: sit proprie vnus z cōtinuꝰ

Pro illius questiōis parte negatiua z vera est Arestoteles in littera Sed pro parte opposita arguitur. proiecta mouentur ab impetu impresso. ergo nō mouentur a pluribus mouentibus. Antecedens probatur. qz nisi poneretur impetus nō posset videri vnde velocitaretur motus corporum ad sua loca naturalia. z quare nō potest homo se sistere in descensu vallis quādo currit si nō generetur impetus Secundo sic. quia si sagitta emittatur a balista. tunc eius motus videtur vnus et continuus.

Maior. Motus proiectorum non continuatur a proiciente: sed a medio propellente. Minor. Proiecta mouentur a pluribus: cosequenter se habentibꝫ Conclusio Quāuis igitur motus proiectorum non sit per quietem interruptus: proprie tamen non est vnus neqꝫ continuus.

Propositio maior patet ex determinatiōe philosophi hic in littera z in tercio de celo. Et declarat eam hoc modo. quia proiciens lapidem simul mouet medium. cui duo attribuit. scilicet mouere z moueri. non autem oportet q si cesset ipsum moueri q etiam cessz ipsum mouere cuius signum est. quia cum moueri sit completum. tunc maxime ipsum quod mouebatur potest mouere. Sicut subiecto producto ad summum calorem nō amplius calefit. sed potest calefacere. Et similiter illud secundū mouens dat parti proxime moueri z consequenter mouere et ita vlterius donec remittendo non datur nisi moueri et tunc cessat motus totus Minor patet ex dictis. quia exempli gratia lapis mouetur a pluribus partibꝫ aeris consequenter se habentibus. Prima pars conclusionis patet. quia sagitta ab arcu emissa non quiescit nisi vsqꝫ ad determinatam distantiam. vt supponitur. et ita est vnitas mobilis temporis z vbi ad quod est motus. Secunda pars patet. quia in tali motu sunt plura mouentia sibi succedentia propter que fiunt diuersi impulsus z irregularitates Correlarium. Si proiectuz moueretur per impetum: sequeretur q lapis proiectus sursum semper continuaret motum suum. Patz sequela. quia illa forma scilicet impetus predominatur forme grauitatis. z quia motus naturaliter fluit ab illa virtute sequitur q nunqꝫ vinceretur. verbi gratia si a calidita/te aque flueret adintra calefactio conseruans calorem sicut impetus generat motum nunqꝫ aqua calefacta frigefieret nisi superueniret extrinsecum frigefaciens predominando Ad primam dicitur q illa velocitas non est propter impetum. sed propter dispositionem ad motum velociorem ex parte suscipiētis. nam prior pars motus est via quedaz vt a grauitate fluat intensior motus. et sic semper vlterius. Ad secundam quid sit dicendum patet ex dictis.

Querit tercio Utrum primus motor impartibilis: habeat virtutem organicam alicuius corporis. Pro illius q̄ siti responsione notandum est q̄ aliquid dicitur imparti bile siue indiuisibile multipliciter. uno modo sicut uni tas vel punctus q̄ sunt de genere quantitatis sicut eius principia. Alio modo aliquid est indiuisibile tam̄ exi stens extra genus quantitatis. sicut substantie separate dicuntur indiuisibles. Similiter etiam duplex est virt⁹. quedam est que determinatur ad certam partem subie cti. sicut virtus oculi vel alterius sensus Alia est virtus separata non coniuncta materie. sicut intellectus est vir tus anime. Istis sic notatis patet luce clarius q̄ prima pars quesiti est affirmatiua t secūda est negatiua Sz contra hoc arguitur primo sic. primus motor est in circū ferentia primi mobilis. sed omnis forma que est in ma teria quantificatur ad quantitatem sue materie. ergo p̄ mū mouens habet magnitudinem Secōo sic. finitum vel infinitū soli quātitati conuenit. sz primū mouēs est infi nite virtutis. g̃ est quantū t partibile.

Maior. Primus motor est impartibilis: sicut existens omnino extra genus magnitu dinis. Minor. Virtus primi motoris: nō est virtus organica alicuius corporis. Cō clusio. Igitur impossibile est primum mouēs immobile: habere magnitudinem aut virtutē in corpore.

Propositio pro maiore posita sic ostenditur. quia si ha beret quantitatem dimensiuam aut haberet magnitu dinem finitam. t si sic non esset infiniti vigoris. cuius op positum superius dictum est. aut haberet magnitudinē infinitam. sed hoc non quia nulla talis est. Q̄ autem sit extra genus. patet quia est motor totius nature eam to tam t totaliter trāscendens Minor propositio sic pa tet. quia virtus organica determinatur ad magnitudi nem dimensiuam. sed primus motor est absolutus a ta li magnitudine. vt dicit precedens propositio. igitur tc̄.

Conclusionis veritas patet ex premissis Corre larium primum. principium influentie motus continui: est in circūferentia mobilis primi. patet quia vbi motus est velocior ibi principium motus est ponendum. vt dici tur in littera. sed velocior est motus in circūferentia pri mi mobilis. et inde alie spere participant suum motum diurnum. quia p̄mus motor est causa motus diurni ab oriente in occidens. Et ergo ad hunc sensum posset con cedi de p̄mo motore q̄ sit in dextra parte celi. id est in ori ente. quia ab illa parte celi recipitur influentia ad motuz circularem. Quod nō est sic intelligendum q̄ aliqua de terminata pars sit semper oriens. eo q̄ virtus motoris primi non est affixa alicui parti sicut organo. sed quecū q̄ pars fuerit in oriente recipit influxum inchoandi mo tum Corrolarium secundum. deus gloriosus sm̄ po sitionem Aristotelis: non est motor proprius primi mo bilis. Patz primo ex communi positione peripatheticō rum inter quos princeps t dux eorum est Aristoteles qui ponunt corpora celestia animata. t per consequens motor proprius respectu corporis celestis est anima. nō autem deus gloriosus. Rursus idem patet ex processu Aristotelis in vlo octauo. quia in genere eoruz que mo uentur quod mouetur naturaliter est prius eo quod mo uetur violente. t quod mouetur a se est prius eo q̄ mo uetur ab alio. Et per consequens in genere mobilium primum mobile mouetur a p̄ncipio intrinseco. sicut ani mal mouetur ab anima Corrolarium tercium. Vir tus simpliciter primi motoris: est origo omnis virtutis Patz quia propter eius excellentiam in primo simplici ter motore qui est deus gloriosus. ipsa virtus est ipsa eēn tia primi motoris a qua ceteris fit participatio quicq̄d bonitatis in se continent. Ad rationes. ad primam dicendum q̄ primus motor est in circumferentia primi mobilis nō sm̄ determinationem sue substantie. sed sm̄ influentiam motus. vt patet ex dictis Ad secundam respondetur q̄ primus motor non est infinitus infinita te quantitatis dimensiue. sed infinitate virtutis. Et er go dicit autor libri causarum q̄ primum infinituz est vir tus virtutum a qua descēdunt relique bonitates. quas nobis largiri dignetur ipse autor t fons virtutum deus gloriosus in secula seculorum benedictus Amen

Finis positionum circa oc to libros phisicorum que sunt ad opponendum t respondendum multum necessarie.

LANDES- UND STADT- BIBLIOTHEK DUSSELDORF

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf